

1612 bebatur, ut de iis quæ acciderant edoctum, ad tumultus comprimendos, quietemque inter finitimos servandam impelleret. Christophoro Valerio, qui nuper in Byzantii legatione Simeoni Contareno successerat, scriptum; ut, iis quæ acciderant Visiro expositis, ipsum ad pacem in finitimis Illyrici regionibus firmandam hortaretur. Qui, literis atque nuntiis statim ad earum regionum præfectos missis, quamprimum omnia dissensionum semina evelli iussit. Finitimi Turcæ, licet ingenti irarum æstu ex iis quæ evenerant perciti, in armis essent, suosque minime inultos se passuros minarentur; attamen, sensim elanguescente impetu, ad concordiam redire: cuius rei non minimam partem laudis Hieronymus Foscarus, Aloysii filius, Trivisano in equitum præfectura successor, reportavit.

Dum hæc foris gererentur, domi in Angelum Baduarium a Decemvirum consilio graviter est animadversum: qui anno M. DC. VII. quod occulta cum Principum ministris adversus leges colloquia habuisset, a Decemvirum collegio præfens carceris poena per annum damnatus, perpetuo a secretioribus Reipublicæ collegiis ac conciliis exclusus fuerat, ea conditione insuper adjecta, ne ullo unquam tempore Venetorum ditionibus egredi atque in alias terras proficisci posset: eo iudicio supra quam dici posset indignatus, auroque corruptus, annuis pensionibus donatus, quid Patres consulerent, quid molirentur, Principibus aperiebat. Sed tandem immani scelere detecto, ut in vincula conjiceretur, Decemviri decrevere. Verum sibi met culpæ conscius, fugam arripuit. Viginti quatuor horarum spatio in jus vocatus, cum non adesset, in absentem lata sententia est: æterna infamiæ nota iniusta; ex albo nobilium expunctus; perpetuo exilio, bonorum publicatione mulctatus: iis, qui captum Venetias perducerent, interficerentve, præmia ingentia proposita: comprehensus, laqueo necatus, mox inverso capite pedibus furcæ appensus, quæ poena proditorum est, spectaculum populo exhiberet: neque ullo unquam tempore in patriam revocari posset. Quæfitoribus quoque mandatum, cum Regibus ac Principibus agerent, ut, si quando in eorum ditiones locave se reciperet, Venetias transmitteretur.

*Angelus  
Baduarius  
denuo per-  
duellionis  
reus.*

Cum